Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38301
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

tebat. illae enim solent purpurisso et cerussa ora depin-
gere, sericis nitere vestibus, splendere gemmis, aurum
portare cervicibus et auribus perforatis rubri maris pretiosissi-
ma grana suspendere, fraglarem quam in marropurre
condens; nusquam sine matre; nullum clericorum more
ut tandem dominatu eorum se caruisse laetentur, quaerant
que alios non quibus iuxta dei sententiam serviant, sed
quibus imperent. unde et pauperes elegunt, ut nomen
tantum virorum habere videantur. qui patienter riva-
les sustineant; si mussitaverint, ilico proiciendi. nostra vidua
talibus usa est vestibus quibus obstaret frigus, non membra
nudaret; et aurum usque ad anuli signaculum repudians, et
magis in ventribus egenorum et monachorum quam implaedomus.
Inter dum exigebat necessitas, vidit absque arbitris, semper in comi-
tatu suo virgines ac viduas et ipsas graves feminas habuit, sciens
ex lascivia puellarum saepe de dominarum moribus iudicari, et
qualis quaeque sit talium consortio delectari. divinarum scriptu-
rarum ardor incredibilis semperque cantabat: In corde meo abscondi
eloquia tua ut non peccem tibi. et illud de perfecto viro: et in lege domini
voluntas eius, et in lege eius meditabitur die ac nocte. meditationem
legis non in replicando quae scripta sunt, ut iudaeorum aestimant
farisei, sed in opere intellegens, iuxta illud apostolicum: sive
commeditis sive bibitis sive quid agitis, omnia in gloriam domini facite.
et prophetae verba dicentis: a mandatis tuis intellexi, ut postquam
mandata conplesset, tunc se sciret mereri intellegentiam scrip-
turarum. quod et alibi legimus: quia coepit Iesus facere et docere.
Erubescit enim quamvis praeclara doctrina quam propria repre-
hendit conscientia, frustraque lingua praedicat paupertatem
et docet elymosinas qui Croesi divitiis tumet, vilique opertus
pallio pugnat contra tineas vestium sericarum.